

per Iesum Christum Dominum nostrum. Merito sperare possumus in Domino tota die, & nocte, quoniam apud ipsum misericordia est. Sunt quidem extra Deum opera misericordiae; unde dictum est, Misericordia Domini plena est terra; & alibi Misericordia tua usq; ad nubes: est etiam in piis hominibus participatio quædam misericordie; sed ipsa misericordia apud Deum tantummodo reperitur, inquit solo eius sinu requiescit: misericordia enim miserias tollit: quis autem potest miserias tollere, nisi qui miser esse non potest? quis potest defectus omnes curare, nisi qui defectu omni caret, & omnipotens est? Deo soli propriè cōuenit, quod idem Propheta dicit, Tu Domine suavis, & mitis, & multæ misericordiae omnibus inuocantibus te. Itaq; rectissimè sancta Mater Ecclesia in precibus Deū appellans dicere solet, Omnipotens & misericors Deus. Neque solum sperare debemus in Deum, quoniam apud eum misericordia est; sed etiam quoniam apud eundem copiosa redemptio est: nam misericordia Dei, quæ generi humano misereri decreuerat, ut iustitiae quoque satisfaceret, inuenit ipsa pretium magnum, sanguinem videlicet Vnigeniti, qui redimeret copiosissimè omnes omnino captiuos; potuit enim homo seipse vendere sub peccato, & à diuina iustitia subiici Diabolo tanquam tortori, cui homo consenserat ad peccatum. Sed non potuit ullo modo seipse redimere, neque de potestate Diaboli eruere. Ergo quod homo non potuit, misericordia diuina fecit, ut per sanguinem Vnigeniti fieret. Sed hæc redemptio apud Deum erat, scilicet Psalmus iste scriberetur. i. in consilio, & decreto Dei, nunc autem misericordia Domini plena est terra, quando quotidie premium illud in redemptionem captiuorum expenditur. unde ab Apostolo dicitur, Empti estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro. 1. Cor. 6. & clarius à B. Petro, Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati, & incontaminati Christi, 1. Petri 1. Dicitur autem hæc

redemptio copiosa, tum quia propitiatio est pro peccatis nostris, & non tantum nostris, sed etiam totius mundi. 1. Ioan. 2. tum quia non solum hoc pretio redimimur à captiuitate, sed etiam euhimur ad participationem hereditatis, & Regni, ut simus heredes Dei, coheredes autem Christi, Rom. 8.

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. **VIII**

Redemptio quæ erat apud Deum, tum planè manifestabitur, cum redimetur Israel, id est, populus Dei, non ut Iudei carnales expectant à potestate Regum temporalium, sed ab omnibus iniquitatibus suis. Quod Angelus de Iesu Christo exposuit, cum ad sanctum Ioseph ait, Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluū faciet populum suum à peccatis eorum. Hæc redemptio iam quidem inchoata est, sed perfectissimè complebitur in die nouissimo, cum liberabimur non solum à peccatis, sed etiam à potenis omnibus peccatorum, & à periculo deinceps peccandi, quod significauit David in Psal. 102. cum ait, Quātum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. & initio Psalmi, Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, q̄ redimit de interitu viam tuam, qui replet in bonis desiderium tuum, &c. & perspicue Dan. c. 9. Ut consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna.

---

### P S A L M . C X X X .

#### *Titulus, & Argumentum.*

Canticum graduum.

**C**antat in hoc Psalmo David humiliatus sua virtutē, & cantat non corā tribus, aut quatuor hominibus, sed in theatro orbis terræ; & tamen cum hoc sit vehementer selaudare, non facit contra preceptum illud Proverb. 20. Laude te alienus, & non os tuum, extraneum, & non labia tua.

Ccccc 3

Sigui-